



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Humilitas solida.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Cardinali Othone, vt simul cum Pontifice maxi-  
mo quædã de Germania iuuanda tractaret. Qui,  
vbi in Italiam vêtum est, iter per agrum Picenum  
instituunt sanctissimã Laureti Deiparę Cellam  
veneraturi: cui & magnifica dona Cardinalis fe-  
rebat. Eo priusquam peruenirent, maximè me-  
morabilem Canisio diuina beneficentia urbem  
Anconam fecit. In templo principe eius vrbis in-  
femet inquirenti, seduloq; peruestiganti, quo ri-  
tè cursum dirigere, ne quo aberret, debeat, ape-  
ruit Deus oculos mentis, nouumque de Cælo lu-  
men infudit ingens, fidele, magnarum caput, ac  
fontem laudum. Monstrabat id lumen interiori  
oculo verum, firmumq; fundamentum religiose  
vitæ: simulq; docebat, quemadmodum consilia  
ei sua omnia imponere, & studia omnia, & facta  
deberet. Fundamentum autem erat sui met co-  
gnitio intima, perquam penitus comprehende-  
ret vilitatem, inanitatemque suam, quam foret  
ipse nihil, quam boni nihil neq; nosset, neq; vel-  
let per se, neq; posset, neq; haberet: cum omnium  
bonorum initia, media, extrema in vno sita Deo,  
nec vsquam alibi præterquam in Deo ab ratione  
vrentibus collocanda sint. Haud dubie iam pri-

Ancona lumi-  
ne diuino illu-  
stratur.

Humilitas  
solida.

dem talia norat animoque agitarat, ac sæpius populo decantarat Doctor eximius, cum prima veluti elementa sint discipline pietatis: ceterum interest quo cernantur in lumine, quam efficaci, actuosaq; notitia cognoscantur. Nam quis ambigat Magnus olim Antonius quin sæpius eadem Christi verba aure corporis accepisset; quæ tandem, cum aperiente cordis aurem diuino spiritu audiuit, nuntium rebus humanis ex templo remisit? Eximij certe, ac singularis loco muneri lumen id Canisius ipse numerauit. Nam & adnotandam eius memoriam scripto censuit, cum immensis actionibus gratiarum: & profiteatur in eo se didicisse non ad præsens modò, sed ex eo tempore in posterum etiam tēpus omnes super fundamentum illud verum, firmumq; cum voluntates, tum actiones ac res suas ponere: ac nouis semet oculis coram Deo intueri, eiq; nouo modo subiici, & inseruire: & ad hæc ipsa in futurū præstanda nouo animū proposito obfirmasse in humilitate, & simplicitate cordis ambulantem: ubi statim exclamat. O sanctum hoc studium, si continuum, aureæ simplicitatis, vt humiliet se miser, & vilis homo, qui mox esca vermium, & putredo erit,

do erit, sub potenti manu Dei, dans illi gloriam, cui soli ea debetur, & sibi seruans, quod solum apud se reperire potest, defectum, corruptionem, miseriam, & alia multa. Hæc autem dona enim vero sunt maxima, & altissimarum cognitioni rerum sterili, inertique haud paulo præoptanda. Igitur hac noua diuinitus prælucente menti face, inspiciens se homo Dei, despiciensque, & ab humani plausus titillatione pectus perpurgans, quo fundamentum firmiter posuit, quò altiores in sanctæ humilitatis fœcūdo gremio radices egit, hoc molem ædificij celsiorem superstruxit, hoc vberiore deinceps in segetem māsurarum frugum exuberavit. Salutata Laureti ingenti sensu Deipara, vbi & latinam concionem in sacrosanctæ Trinitatis solemni, sacris operante Cardinali Othone, habuit, in urbem sanctam peruenit, ipsi sanctissimo Pio quinto Pontifici expectatus, cupienti coram ex eo de rerum statu remedioque cognoscere. Nec exigua pars ipse fuit Canisius, vt Consilium quatuor Cardinalium constitueretur, quorum curæ in iuuando Septentrione excogitandis viis idoneis, vrgendaque restitutione religionis per eas oras proprie vigilarent. Concessit autem illi

*Roma res Septentrionales  
suuat apud  
Pontificem.*